An. et vol. XXXXV 16 Decembris 1953 (Ser. II, v. XX) - N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 769 - Litterae Apostolicae, p. 781 - Epistulae, p. 784 - Allocutiones, p. 790 - Nuntius radiophonicus, p. 803.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: Dichiarazione, p. 806 - *S. C. Consistorialis*: Decretum, p. 806 - *S. C. de Disciplina Sacramentorum*: Decretum, p. 808 - *S. C. Concilii*: Formulae de ieiunio eucharistico, p. 809 - *S. C. de Propaganda Fide*: Decreta, p. 810 - *S. C. Rituum*: I. II. III. Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 813. IV. Decretum de Missa votiva B. M. V. singulis Sabbatis per Annum Marianum, p. 819.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota*: Citatio edictalis, p. 820.

Acta Officiorum: *Segreteria di Stato di S. S.*: Statutum Fundationis Pii Pp. XII pro Apostolatu Laicorum, p. 821.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 822-832.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LIII

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1300 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXV, n. 16 – 16 Decembris 1953)

ACTA PII PP. XII

Constitutiones Apostolicae

PAG.

I. De Alto Orinoco (Portus Ayacuquensis). *Nulla maiore.* – Praefectura Apostolica « De Alto Orinoco » ad gradum Vicariatus Apostolici evehitur, « Portus Ayacuquensis » nomine appellandi – 7 Maii 1953. 769

II. De Fort Jameson. *Qui ad supremum.* – Praefectura Apostolica De Fort Jameson in Africa Orientali Britannica, ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem evehitur, iisdem servatis nomine ac finibus. – 7 Maii 1953. 771

III. Kadunaensis (De Sokoto). *Ex iis praecipue.* – A Praefectura Apostolica Kadunaensi pars seiungitur, districtus civiles Sokoto et Katsina complectens, quae in novam erigitur Praefecturam Apostolicam, « De Sokoto » nomine. – 29 Iunii 1953. 773

IV. Iosensis (De Maiduguri). *Rem Nos facere.* – Ab Apostolica Iosensi Praefectura quaedam regio separatur, ex qua nova efficitur Praefectura Apostolica, « De Maiduguri » appellanda. – 29 Iunii 1953 775

V. De Bulawayo. de Salisbury (De Wankie). *A Christi.* – A Vicariatibus Apostolicis de Bulawayo et de Salisbury quaedam territoria separantur, e quibus erigitur nova Praefectura Apostolica « De Wankie » appellanda, atque Instituto Hispanico a S. Francisco Xaverio pro sacris expeditionibus ad exteras gentes committenda. – 29 Iunii 1953. 777

VI. De Oslo (Osloensis). *Faustum profecto.* – Apostolicus Vicariatus de Oslo ad dignitatem provehitur Dioecesis, « Osloensis » posthac appellandae. – 29 Iunii 1953. . . 779

Litterae Apostolicae

I. *Antiquitas et religio.* – Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ditatur Ecclesia Cathedralis Popayanensis B. Mariae Virgini in Caelum Assumptae sacra. – 25 Aprilis 1953. 781

II. *Simulacrum B. M. V.* – Beata Maria Virgo, a « Suyapa » appellata et in eiusdem nominis pago, intra fines Tegucigalpensis Archidioecesis exPAG.

culta, totius Reipublicae Honduriensis Patrona Caelestis eligitur. 25 Aprilis 1953. 782

Epistulae

I. *Per officiosae.* – Ad Exc̃mum P. D. Paulum Richaud, Archiepiscopum Burdigalensem: sexto decimo expleto saeculo ab ortu Sancti Paulini Nolani. – 5 Novembris 1953. 784

II. *Sie haben.* – Ad electam mulierem Gertrudem Ehrle, Praesidem Foederationis Mulierum Catholicarum Germaniae, ob dena lustra feliciter expleta ab eadem Foederatione orta. – 6 Novembris 1953. . . . 787

III. *Nuper allatum.* – Ad Revm̃um D. Petrum Basset, O. S. B. Abbatem Sancti Martini Locogiacensis, ob primum expletum saeculum ab eadem Abbatia redintegrata. – 11 Novembris 1953. 789

Allocutiones

I. Iuvenibus ab Actione Catholica ex Italiae dioecesibus, qui annua certamina regionalia de doctrina religionis vicerunt. – 4 Novembris 1953. . . 790

II. Iuvenibus ab Actione Catholica Italica, qui certamen nationale de christiana doctrina vicerunt. – 4 Novembris 1953. 792

III. Iis qui interfuerunt Conventui quinto nationali Italico Unionis Iureconsultorum catholicorum. – 6 Decembris 1953. 794

Nuntius Radiophonicus

Christifidelibus Cantabricae regionis datus, ob primum elapsum saeculum a quo B. Maria V. « Nuestra Señora de Begoña » nuncupata, eiusdem regionis Patrona Caelestis proclamata fuit, sollemnia celebrantibus. – 15 Novembris 1953. 803

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Notificazione. – Circa la prima Messa del S. Natale nelle ore serali della vigilia. – 12 Decembris 1953 . . 806

(*Sequitur pag. III*)

An. et vol. XXXXV 16 Decembris 1953 (Ser. II. v. XX) – N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE ALTO ORINOCO
(PORTUS AYACUQUENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA « DE ALTO ORINOCO » AD GRADUM VICARIATUS APOSTOLICI EVEHITUR, « PORTUS AYACUQUENSIS » NOMINE APPELLANDI.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nulla maiore animi voluptate afficimur quam cum audimus fidem catholicam per terrarum orbem proficere hominesque qui adhuc errorum tenebris detinerentur christianae veritatis luce perfundi, sicuti in Alti Orinoci ora evenisse comperimus. Exoptantes igitur ut vera religio maiora semper in eadem regione incrementa capiat, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum; de sententia venerabilis Fratris Armandi Lombardi, Archiepiscopi titulo Caesareae Philippi eiusdemque in Venetiolana Republica Apostolici Nuntii; eorum insuper consensum supplentes qui in hoc negotio aliquid iuris se habere arbitrentur; re attente considerata; de Nostra summa et apostolica potestate haec quae sequuntur decernimus. Praefecturam Apostolicam *de Alto Orinoco* ad gradum Vicariatus Apostolici evehimus quem ad Nostrum et Apostolicae Sedis nutum Sodalibus Societatis a S. Francisco Salesio concredimus regendum, ea spe ut, qui ad hunc diem amore Christi acti christianae doctrinae semina ibi impigre sparserunt, haud minores labores mox sint regno Dei dilatando suscepturi. Statuimus insuper ut novus Vica-

An. et vol. XXXXV 16 Decembris 1953 (Ser. II. v. XX) - N. 16

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE ALTO ORINOCO (PORTUS AYACUQUENSIS)

PRAEFECTURA APOSTOLICA « DE ALTO ORINOCO » AD GRADUM VICARIATUS APOSTOLICI EVEHITUR, « PORTUS AYACUQUENSIS » NOMINE APPELLANDI.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Nulla maiore animi voluptate afficimur quam cum audimus fidem catholicam per terrarum orbem proficere hominesque qui adhuc errorum tenebris detinerentur christianae veritatis luce perfundi, sicuti in Alti Orinoci ora evenisse comperimus. Exoptantes igitur ut vera religio maiora semper in eadem regione incrementa capiat, de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum; de sententia venerabilis Fratris Armandi Lombardi, Archiepiscopi titulo Caesareae Philippi eiusdemque in Venetiolana Republica Apostolici Nuntii; eorum insuper consensum supplentes qui in hoc negotio aliquid iuris se habere arbitrentur; re attente considerata; de Nostra summa et apostolica potestate haec quae sequuntur decernimus. Praefecturam Apostolicam *de Alto Orinoco* ad gradum Vicariatus Apostolici evehimus quem ad Nostrum et Apostolicae Sedis nutum Sodalibus Societatis a S. Francisco Salesio concredimus regendum, ea spe ut, qui ad hunc diem amore Christi acti christianae doctrinae semina ibi impigre sparserunt, haud minores labores mox sint regno Dei dilatando suscepturi. Statuimus insuper ut novus Vica-

riatus Apostolicus *Portus Ayacuquensis* nomine appelletur. Quae vero iura, onera, obligationes, potestates solent Apostolicis Vicariatibus lege tribui et iniungi, huic quoque Vicariatui quem modo constituimus erunt propria. Similiter et eius Praesules pro tempore iis omnibus fruentur et tenebuntur. Ut autem ea quae his Litteris praecepimus ad effectum deducantur venerabilem Fratrem Armandum Lombardi, in Venetiolana Republica Apostolicum Nuntium, deligimus cui agendae rei omnes potestates tribuimus, quas poterit etiam alii viro subdelegare dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Quodsi quo tempore res perficietur alius eidem Nuntiaturae praeerit, hunc eligimus Nostrae voluntatis exsecutorem eidem quoque facultate facta easdem potestates subdelegandi, si opus fuerit. Curabit insuper idem venerabilis Frater ut post rem exactam documenta perficiantur eorumque fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum mittantur. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter siquis, quavis auctoritate praeditus, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi volumus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis vel locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Cong. de Prop. Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXXXVI, n. 66

II

DE FORT JAMESON

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE FORT JAMESON, IN AFRICA ORIENTALI BRITANNICA, AD VICARIATUS APOSTOLICI GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR, IISDEM SERVATIS NOMINE AC FINIBUS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui ad supremum Pontificatum evecti Christi vices in terris gerimus, magno gaudio ac laetitia ea omnia agimus quae quoquo modo ad Ecclesiae profectum Deique gloriam attinent. Quod Nos modo efficiendum existimamus ad Praefecturam quod pertinet de Fort Jameson, ubi sollertes ob curas Societatis Missionariorum in Africa, quibus concredita est, religiosa res, uti laeto animo accepimus, non parum profecit. Quoniam igitur venerabilibus Fratribus Nostris Sacrae Congregationi Christiano Nomini Propagando praepositis, consilium fuit Apostolicam Praefecturam de Fort Jameson ad Vicariatum Apostolicum esse elevandam, Nobis a venerabili Fratre eiusdem S. Congregationis Fidei Propagandae a Secretis relatum, habito quoque favorabili voto venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titulo Apameni in Bithynia, et in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegati Apostolici; eorum insuper quorum interest, si opus sit, consensum supplentes; re attento animo considerata, de apostolica Nostra potestate haec quae sequuntur statuimus. Apostolicam Praefecturam de Fort Jameson, in Africa Orientali Britannica, quae dicitur, eodem nomine ac iisdem finibus servatis, ad gradum et dignitatem Apostolici Vicariatus evehimus, cui proinde eadem iura, honores, onera et obligationes tribuimus quibus ornari ac teneri solent ceteri omnes eiusdem dignitatis Apostolici Vicariatus. Quod idem de eius pro tempore Praesulibus dicendum est. Hunc vero Apostolicum Vicariatum Societati Missionariorum in Africa, qui ibidem tam sedulo allaborant, excolendum concredimus, ad Nostrum tamen et Sanctae Sedis nutum. Quae autem his Litteris decrevimus venerabilis Frater David Mathew, quem supra memoravimus, exsequenda curabit, vel ille qui eo tempore quo exsecutioni mandabuntur ei Delegationi praeerit. Cui autem contigerit haec omnia peragere omnes potestates rei agendae necessarias eidem tri-

buimus, quae poterunt cuique viro subdelegari dummodo in ecclesiastica constituto dignitate. Cum vero haec decreta ad effectum deducta fuerint, oneri erit ei documenta exarare eorumque fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum transmittere. Has Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus obtinere atque ab omnibus ad quos spectant inviolabiliter servari volumus ac decernimus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos decrevimus, id prorsus irritum et inane haberi volumus. Iubemus quoque ut harum Litterarum exemplis vel locis, sive impressis sive manu exaratis, eadem prorsus tribuatur fides quae hisce ipsis haberetur ostensis, dummodo tamen ab aliquo publico tabellione subscribantur et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti muniantur. Nemini autem iis, quae per has Litteras a Nobis statuta sunt, obsistere liceat. Quod si quis ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit moturum.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVII, n. 42.

III

KADUNAENSIS
(DE SOKOTO)

A PRAEFECTURA APOSTOLICA KADUNAENSI PARS SEIUNGITUR, DISTRICTUS CIVILES SOKOTO ET KATSINA COMPLECTENS, QUAE IN NOVAM ERIGITUR PRAEFECTURAM APOSTOLICAM, « DE SOKOTO » NOMINE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex iis praecipue terris, quae Missionalium laboribus excolantur quaeque nimis late pateant, solet Apostolica Sedes partes, cum id opportunum visum sit, seiungere novasque exinde condere circumscriptiones, ut aptiori christifidelium regimini eorumque maiori utilitati magis accommodate provideatur. Quod nunc faciendum censemus quoad Praefecturam Apostolicam Kadunaensem attinet. Quapropter Nos, sententiam sequentes venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titulo Apameni, in Bithynia, atque in Africa Orientali et Occidentali Britannica Apostolici Delegati; consilium ratum habentes et confirmantes venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Fidei Propagandae praepositorum, per dilectum Filium Nostrum eiusdem S. Congregationis Praefectum Nobis relatum; eorum omnium consensum supplentes qui aliquid iuris hoc in negotio sese habere arbitrentur; re attente considerata ac certa scientia eorum quae acturi sumus, de apostolica Nostra potestate ea quae sequuntur statuimus. A Praefectura Apostolica de Kaduna seu Kadunaensi, in Africa Orientali, eas separamus regiones, quibus vulgo sunt nomina: « Sokoto » et « Katsina ». Novam igitur ex his disiunctis territoriis Apostolicam Praefecturam erigimus et constituimus, quae posthac, ab huius regionis principis urbis nomine, de Sokoto appellabitur; quam regendam tradimus Patribus Provinciae Chicagiensis ex Ordine Fratrum Praedicatorum, ad Nostrum tamen et Romanae Sedis nutum, nihil dubitantes eorum operam alacriter in regione illa catholicae fidei propagationi et incremento profuturam. Cui Apostolicae de Sokoto Praefecturae, quam hodie constituimus, eiusque pro tempore Praesulibus, omnia tribuimus iura, privilegia et honores, quibus ceterae Praefecturae earumque Praesules per terrarum orbem

fruuntur; quos tamen volumus iis etiam oneribus et obligationibus obstrictos, quibus ceteri onerantur. Quae omnia ita edicimus ac decernimus ut iusto polleant iure, non obstantibus quibuslibet contrariis. Ut autem ea quae Nostris hisce Litteris praecipimus efficiantur, venerabilem Fratrem Davidem Mathew, quem supra diximus, deligimus, vel eum qui eo tempore quo haec decreta ad rem adducentur, Apostolicae in Africa Orientali et Occidentali Britannica praeerit Delegationi; cui ergo conficiendae rei potestatem tribuimus, cuilibet subdelegandam, si opus fuerit, viro dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Volumus autem ut qui negotium hoc perfecerit, documenta quoque actae rei exaranda curet, quorum fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum transmittat. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum et inane haberi volumus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ CLEMENS Card. MICARA
Sacri Collegii Subdecanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVII, n. 56.

IV

IOSENSIS
(DE MAIDUGURI)

AB APOSTOLICA IOSENSI PRAEFECTURA QUAEDAM REGIO SEPARATUR, EX QUA NOVA EFFICITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA, « DE MAIDUGURI » APPELLANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Rem Nos facere cum christianae religionis incrementis admodum congruentem opinamur, si, ubi adiuncta id postulant, ab ecclesiasticis circumscriptionibus nimis late patentibus territorii partem quandam distrahamus, ac novam constituamus religiosae rei administrationem. Quam ob causam cum venerabilis Frater David Mathew, Archiepiscopus titulo Apamenus in Bithynia atque in Africa Orientali et Occidentali Britannica Apostolicus Delegatus, se censere opportunum dixerit in Africa Orientali ab Apostolica Iosensi Praefectura partem disiungi ac novam exinde erigi Praefecturam, ac venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales S. Congregationi Fidei Christianae Propagandae praepositi, ad quos id relatum est, plane hanc probaverint sententiam, Nos eandem, utpote quae ad Evangelii praeconum labores allevandos valde conferat, ratam habemus. Re igitur attento animo considerata ac certa idcirco scientia eorum quae sumus decreturi; et consensum praeterea supplentes eorum, quorum id negotii quavis intersit ratione, de suprema Nostra potestate haec quae sequuntur statuimus. Ab Apostolica Iosensi Praefectura totam regionem separamus quae civilem districtum de Bornu complectitur, ipsamque, iisdem servatis finibus, in novae Apostolicae Praefecturae formam redigimus, quae ex urbis territorii principis nomine de Maiduguri posthac appellabitur. Hanc vero Praefecturam regendam tradimus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum, sollertibus Fratribus Eremitis a S. Augustino, ex Hiberniensi Provincia. Cui Apostolicae de Maiduguri Praefecturae, quam hodie constituimus, eiusque pro tempore Ordinariis, omnia iura et honores attribuimus omniaque onera et officia iniungimus, quibus ceterae Praefecturae earumque Praesules per terrarum orbem et fruuntur et onerantur. Ut autem ea quae Nostris hisce Litteris iubemus efficiantur, eundem venerabilem Fratrem Davidem Ma-

thew deligimus, vel eum qui eo tempore quo haec decreta ad rem adducentur, Apostolicae in Africa Orientali et Occidentali Britannica praeerit Delegationi; cui vero contigerit hoc exsequendum negotium, illi necessarias ad id potestates facimus cuilibet subdelegandas, si opus fuerit, viro, qui ecclesiastica dignitate polleat. Praecipimus pariter ut idem venerabilis Frater hoc confectum negotium in acta referat, quorum fide digna exempla ad S. Consilium de Propaganda Fide quam primum transmittet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ CLEMENS Card. MICARA
Sacri Collegii Subdecanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVII, n. 57.

V

DE BULAWAYO. DE SALISBURY (DE WANKIE)

A VICARIATIBUS APOSTOLICIS DE BULAWAYO ET DE SALISBURY QUAEDAM TERRITORIA SEPARANTUR, E QUIBUS ERIGITUR NOVA PRAEFECTURA APOSTOLICA « DE WANKIE » APPELLANDA, ATQUE INSTITUTO HISPANICO A S. FRANCISCO XAVERIO PRO SACRIS EXPEDITIONIBUS AD EXTERAS GENTES COMMITTENDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad Christi religionem inter ethnicos populos aptius propagandam, opus est omnino curare ne territoria, Evangelii praeconum curis concredita, latius quam pro eorum viribus pateant. Quapropter Nos, qui nihil de agendis rebus omittimus quae bonam spem afferant rectius Ecclesiae rebus consulendi, libenter sequendum ducimus consilium venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositorum, qui, audita sententia venerabilium Fratrum Martini Lucas, Archiepiscopi titulo Adulitani et olim in Africa Meridionali Apostolici Delegati, atque Ordinariorum quorum res interest, censuerunt ut e Vicariatibus Apostolicis de Bulawayo et de Salisbury territorii partem distraheremus, in novam Praefecturam Apostolicam erigendam. Re igitur mature perpensa, certa scientia eorum quae sumus acturi, illorum insuper consensum supplentes qui aliquid iuris in hac re se arbitrentur habere, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine haec quae sequuntur statuimus atque decernimus. A Vicariatu Apostolico de Bulawayo, Sodalibus Missionalibus de Mariannhill commendato, districtum, quem vulgo Wankie vocant, eamque partem districtus Shangani quae inter flumina Kana et Shangani sita est, distrahimus; e Vicariatu autem Apostolico de Salisbury, Sodalibus e Societate Iesu concredito, districtum Sebungwe separamus. E quibus avulsis territoriis novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam de Wankie nuncupandam, quam Instituto Hispanico a S. Francisco Xaverio pro sacris expeditionibus ad exteras gentes, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum, excolendam concredimus. Novae huius Praefecturae iura et onera erunt propria quae ceteris Praefecturis iure tribui solent. Eius

vero pro tempore Praesulibus hinc iura, privilegia et potestates competent, hinc onera et obligationes quae ex iure communi eiusmodi Praesulibus competunt. Quae hisce Litteris decrevimus venerabilis Frater Caelestinus Iosephus Damiano, Archiepiscopus titulo Nicopolitanus in Epiro, et in praesens Delegatus Apostolicus in Africa Meridionali, exsequenda curabit, vel ille qui eo tempore quo res peragetur ei Delegationi praeerit, concessis rei gerendae opportunis potestatibus quae poterunt cuilibet viro subdelegari, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Ei autem cui hoc negotium contigerit exsequendum onus iniungimus rei confectae documenta exarandi eorumque digna exempla ad sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum mittendi. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus, ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum interest sedulo serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis vel locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino fides habenda erit quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

† A. Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXXXVI, n. 80.

VI

DE OSLO
(OSLOENSIS)

APOSTOLICUS VICARIATUS DE OSLO AD DIGNITATEM PROVEHITUR DIOECESIS, « OSLOENSIS » POSTHAC APPELLANDAE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Faustum profecto divinae religioni accidit quod in Norvegia, in regione et rebus gestis et humanitatis cultu praeclara, catholicum nomen ita profecit ut suavis affulgeat spes Ecclesiam Sanctam suum pristinum fulgorem esse inibi consecuturam. In quo Nos, quibus summus caelorum Pater sui Regni curam hisce in terris commisit, valde laetamur, atque praeterea opportunum existimamus rei christianae administrationem ita ordinare atque disponere ut eius forma ac ratio cum rerum statu, qui nunc est, aptius congruat. Quam ob rem, Apostolicum Vicariatum de Oslo ad dioecesis perducimus dignitatem; quae enim virtutis, pietatis ac sollertiae documenta hic data sunt, et praesertim a saecularibus sacerdotibus, quibus eiusdem Vicariatus cura concredita est, digna sunt quae iusto praemio donentur, ut iisdem sacerdotibus animus ad uberiores adipiscendos fructus addatur fideliumque constantia confirmetur. Quapropter, rata omnia habentes quae S. Consilium Christiano Nomini Propagando esse facienda existimaverit; atque eorum pariter consensum supplentes qui in hoc negotio sua interesse quavis arbitrentur ratione, re propterea attentissime cogitata ac certa ideo scientia eorum quae decreturi sumus, de Nostra apostolica potestate haec quae sequuntur constituimus. Apostolicum de Oslo Vicariatum ad dioecesis dignitatem provehimus, Osloensis posthac appellandae, quam Nostrae et Apostolicae Sedis auctoritati directo subicimus. Osloensis igitur Episcopus sedem ac domicilium in urbe Oslo, a qua nova dioecesis suum mutuatur nomen, habebit

pontificalemque cathedram in praeclara sancti Olavi aede, in eadem urbe exstante, collocabit, quae ad hodiernum diem pro cathedrali templo fungebatur. Huic modo erectae Ecclesiae, ob suam adeptam dignitatem, eiusque pro tempore Antistitibus ea omnia iura ac privilegia, onera et obligationes tribuimus, quibus ceterae episcopales Sedes ceterique per orbem eiusdem dignitatis Praesules decorari atque onerari solent. Quod ergo attinet ad Canonicorum Collegium, Osloensis Episcopus onus habebit istiusmodi coetum constituendi; usque dum vero rerum locorumve difficultates id impediant, concedimus ut eorum loco dioecesani Consultores eligantur, qui Episcopo et prudenti consilio et alacri navitate fideliter assint. Cum praeterea omnium stabilitati dioecesium procurandae quam tutissime consulatur eorum institutione puerorum, qui divino quodam impulsu ad sacerdotalia munia contendant, volumus ut seminarium quam primum condatur. Episcopalem autem mensam, quam vocant, ea constituent bona, si qua sint, quae Vicariatui de Oslo accedebant; vel emolumenta quae constitutae Curiae obvenient, vel denique pecuniae a S. Consilio Fidei Propagandae et a christifidelibus offerendae. Ut autem ea quae Nostris hisce Litteris praecipimus efficiantur, venerabilem Fratrem Iacobum Mangers, Episcopum titulo Seliensem, deligimus, qui hactenus Apostolico Vicariatui de Oslo praefuit quique hoc ipso die primus Osloensis Episcopus renuntiatus est. Huic igitur omnes necessarias atque opportunas ad id tribuimus potestates, cuilibet viro, si opus fuerit, subdelegandas, dummodo tamen aliquam in sacro sacerdotio obtineat dignitatem. Iubemus praeterea ut idem venerabilis Frater hoc confectum negotium in tabulas referat, quarum fide digna exempla ad S. Consilium Christianae Fidei Propagandae quam primum transmittet. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est sedulo serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quinimmo harum Litterarum exemplis et locis, aut typis impressis aut manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo de-

trectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., Vol. LXXXVI, n. 82.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS DITATUR ECCLESIA CATHEDRALIS POPAYANENSIS B. MARIAE VIRGINI IN CAELUM ASSUMPTAE SACRA.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Antiquitas et religio Templi principis Popayanensis in Dicione Columbiana tantopere fertur ut peculiaris honor, Nostro concessu atque beneficio, non immerito ei videatur adiungendus. Praeclarum enim hoc pietatis domicilium, Deiparae Coelo receptae sacrum, recens ab institutis ibi christianis sacris condidit aetas. Non est quidem infitiandum eandem Aedem, cum urbs Popayanum sita sit haud procul a monte ignivomo atque in regione terrae motu ac fremitu saepe quassata, haud raro diffractam, eversam, conspirantibus vero Christifidelium animis semper refectam esse restitutamque. Quin per hominum aetates quater est exaedificata ab imo, novissime autem, super parietinas superiorum Templorum, hoc ineunte saeculo. Admireris ibi artis elegantiam, propter quam nomen Doricum inclaruit, ipsius Aedis molem et amplitudinem, simulacra sculpta vel colorum venustate expressa, praesertim vero sacram supellectilem, antiquitate illustrem, pretio-

sisque vestitam metallis. Neque desunt administri e canonicorum ordine, qui in eiusdem Templi officiis impigri alacresque versentur. Ea est praeterea Christifidelium in res divinas propensa voluntas, ut saepe ibi fiat sacer eorum coetus et frequentia. Quibus permotus, Venerabilis Frater Didacus Maria Gómez Tamayo, Archiepiscopus Popayanensis, vota quoque Nobis significans ordinis Sacerdotum et laicorum, Nos oravit rogavitque ut Aedem, quam laudavimus, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus, pro Nostra erga Popayanensium civitatem benevolentia, libenter admissis, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Ecclesiam Cathedralem Popayanensem, Beatae Mariae Virgini ad caelestem gloriam Assumptae sacram, ad honorem ac dignitatem *Basilicae Minoris* evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae Templis itidem insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

II

BEATA MARIA VIRGO, A « SUYAPA » APPELLATA ET IN EIUSDEM NOMINIS PAGO, INTRA FINES TEGUCIGALPENSIS ARCHIDIOECESIS EXCULTA, TOTIUS REIPUBLICAE HONDURIENSIS PATRONA CAELESTIS ELIGITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Simulacrum Beatae Mariae Virginis, quod in pago, vulgo « Suyapa » appellato nec procul ab urbe Tegucigalpa sito, asservatur, a duobus saeculis religiosissimum est, quemadmodum

accepimus, apud universam gentem Hondurianam. Frequentes enim Christifidelium turmae, piae peregrinationis causa, eo accedunt perpetuisque Deiparam venerantur obsequiis. Haec autem se exorantibus superna munera cumulate dilargita est neque desinit dilargiri. Unde factum est ut Honduriani cives Dei Genetricem, hoc signo expressam, totius Reipublicae Patronam haberent. Quo vero marialis haec religio vel maioribus augesceret incrementis, Venerabiles Fratres Sacrorum Antistites Reipublicae Honduriensis conspirantes a Nobis petierunt ut Beatam Mariam Virginem, a « Suyapa » nuncupatam, eiusdem civitatis Patronam constitueremus. Nos autem, quibus magnopere cordi est ut cultus Caelorum Reginae usquequaque propagetur, vota huiusmodi libenti animo statuimus explere. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, a « Suyapa » appellatam et in eiusdem nominis pago, intra fines Tegucigalpensis archidioecesis fines, excultam, totius Reipublicae Honduriensis praecipuam apud Deum *Patronam* eligimus, facimus, renuntiamus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus regionum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter extare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Aprilis, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

EPISTULAE

I

AD EXCMUM P. D. PAULUM RICHAUD, ARCHIEPISCOPUM BURDIGALENSEM: SEXTO DECIMO EXPLETO SAECULO AB ORTU SANCTI PAULINI NOLANI.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Per officiosae pietatis plenam recens datam a te epistulam, de qua tibi gratias plurimas persolvimus, plane edocti sumus istic certatim apparari sollemnia ad recolendum sextum decimum fauste expletum saeculum, ex quo S. Paulinus Nolanus natus est. Tibi vehementer de consilio a te suscepto gratulamur, cum id ad religionis studium confirmandum et alendum magnopere collaturum esse prospiciamus, eo vel magis quod abs te percepimus, in piae accessionem laetitiae, etiam Dilectum Filium Nostrum Cardinalem Mauritium Feltin, Parisiensem Archiepiscopum, agendis celebritatibus adfore.

Burdigala, urbs ista ubertate soli, litterarum elegantia, ecclesiasticis fastis praeclara, iure meritoque singularis sibi titulum gloriae tribuit, quod Pontius Meropius Paulinus istic terrestris vitae in lumen prodivit et sat diuturnum temporis spatium degit.

Tum quod natura indit, tum quod superna gratia addit, ipsi tam pulchro sociata sunt foedere, ut is, praestantiam ingenii nactus et fastigium assecutus virtutis, Ecclesiae exemplo et gaudio exstiterit, atque hac de causa aequalibus sui admirationem moverit. Placeat igitur inclitos revolvere fastos et egregie gesta recensere.

La Chiesa di Cristo ha, in virtù del mandato del suo divino Fondatore, una simile universale missione. Essa deve accogliere in sè e collegare in una unità religiosa gli uomini di tutti i popoli e di tutti i tempi. Ma qui la via è in un certo senso contraria; essa va dall'alto al basso. In quella prima testè ricordata, l'unità superiore giuridica della comunità dei popoli era o è ancora da creare. In questa, la comunità giuridica col suo fine universale, la sua costituzione, le sue potestà e coloro che ne sono rivestiti, è già fin dal principio stabilita per la volontà e la istituzione di Cristo stesso. L'ufficio di questa comunità universale fin dall'inizio è di incorporarsi possibilmente tutti gli uomini e tutte le genti,[2] e con ciò di guadagnarli interamente alla verità e alla grazia di Gesù Cristo.

La Chiesa nell'adempimento di questa sua missione si è trovata sempre e si trova tuttora in larga misura di fronte agli stessi problemi che deve superare il « funzionamento » di una Comunità di Stati sovrani; solamente essa li sente anche più acutamente, perchè è legata all'oggetto della sua missione, determinato dallo stesso suo Fondatore, oggetto che penetra fino nelle profondità dello spirito e del cuore umano. In questa condizione di cose i conflitti sono inevitabili, e la storia dimostra che ve ne sono stati sempre, ve ne sono tuttora e, secondo la parola del Signore, ve ne saranno sino alla fine dei tempi. Poichè la Chiesa con la sua missione si è trovata e si trova dinanzi ad uomini e a popoli di una meravigliosa cultura, ad altri di una inciviltà appena comprensibile, e a tutti i possibili gradi intermedi: diversità di stirpi, di lingue, di filosofie, di confessioni religiose, di aspirazioni e peculiarità nazionali; popoli liberi e popoli schiavi; popoli che non sono mai appartenuti alla Chiesa e popoli che si sono staccati dalla sua comunione. La Chiesa deve vivere tra essi e con essi; non può mai di fronte a nessuno dichiararsi « non interessata ». Il mandato impostole dal suo divin Fondatore le rende impossibile di seguire la norma del « lasciar correre, lasciar fare ». Essa

[2] Cfr. MATTH., 28, 19.

ha l'ufficio d'insegnare e di educare con tutta l'inflessibilità del vero e del buono e con questo obbligo assoluto deve stare e operare tra uomini e comunità che pensano in modi completamente diversi.

Torniamo ora tuttavia indietro alle due summenzionate proposizioni: e in primo luogo a quella della negazione incondizionata di tutto ciò che è religiosamente falso e moralmente cattivo. Riguardo a questo punto non vi è stato mai e non vi è per la Chiesa nessun tentennamento, nessun patteggiamento, nè in teoria nè in pratica. Il suo contegno non è cambiato nel corso della storia, nè può cambiare, quando e dovunque, nelle forme più svariate, è posta di fronte all'alternativa: o l'incenso per gl'idoli o il sangue per Cristo. Il luogo dove voi ora vi trovate, la *Roma Aeterna*, con le reliquie di una grandezza che fu, e con le memorie gloriose dei suoi martiri, è il testimonio più eloquente della risposta della Chiesa. L'incenso non fu bruciato dinanzi agli idoli, e il sangue cristiano bagnò il suolo divenuto sacro. Ma i templi degli dei giacciono in fredde rovine nei pur maestosi ruderi; mentre presso le tombe dei martiri, fedeli di tutti i popoli e di tutte le lingue ripetono fervidamente il vetusto Credo degli Apostoli.

Quanto alla seconda proposizione, vale a dire alla tolleranza, in circostanze determinate, alla sopportazione anche in casi in cui si potrebbe procedere alla repressione, la Chiesa — già per riguardo a coloro, che in buona coscienza (sebbene erronea, ma invincibile) sono di diversa opinione — si è vista indotta ad agire ed ha agito secondo quella tolleranza, dopo che sotto Costantino il Grande e gli altri Imperatori cristiani divenne Chiesa di Stato, sempre per più alti e prevalenti motivi; così fa oggi e anche nel futuro si troverà di fronte alla stessa necessità. In tali singoli casi l'atteggiamento della Chiesa è determinato dalla tutela e dalla considerazione del *bonum commune*, del bene comune della Chiesa e dello Stato nei singoli Stati, da una parte, e, dall'altra, del *bonum commune* della Chiesa universale, del regno di Dio sopra tutto il mondo. Per la ponderazione del pro e del contro nella trattazione della « quaestio facti » non valgono in questo per la Chiesa altre norme se non quelle da Noi già prima indicate per il Giurista e lo Statista cattolico, anche per quanto concerne l'ultima e suprema istanza.

VII

Ciò che abbiamo esposto può essere utile per il giurista e l'uomo politico cattolico anche quando nei loro studi o nell'esercizio della loro professione vengono in contatto con gli accordi (Concordati, Trattati, Conven-

zioni, Modus vivendi, ecc.) che la Chiesa (vale a dire, già da lungo tempo, la Sede Apostolica) ha concluso in passato e conclude tuttora con Stati sovrani. I Concordati sono per essa una espressione della collaborazione tra Chiesa e Stato. Essa per principio, ossia in *tesi*, non può approvare la completa separazione fra i due Poteri. I Concordati debbono quindi assicurare alla Chiesa una stabile condizione di diritto e di fatto nello Stato, con cui sono conclusi, e garantire ad essa la piena indipendenza nell'adempimento della sua divina missione. È possibile che la Chiesa e lo Stato nel Concordato proclamino la loro comune convinzione religiosa; ma può anche accadere che il Concordato abbia, insieme con altri scopi, quello di prevenire dispute intorno a questioni di principio e di rimuovere fin dall'inizio possibili materie di conflitti. Quando la Chiesa ha apposto la sua firma ad un Concordato, questo vale per tutto il suo contenuto. Ma il suo senso intimo può essere, con mutua cognizione di ambedue le alte Parti contraenti, graduato; può significare una espressa approvazione, ma può anche dire una semplice tolleranza, secondo quei due principî che sono la norma per la convivenza della Chiesa e dei suoi fedeli con le Potenze e gli uomini di altra credenza.

È questo, diletti figli, ciò che intendevamo di trattare con voi più diffusamente. Per il resto Noi confidiamo che la comunità internazionale possa bandire ogni pericolo di guerra e stabilire la pace; per quanto poi riguarda la Chiesa, che valga a garantirle dappertutto la via libera, affinchè essa possa fondare nello spirito e nel cuore, nel pensiero e nell'azione degli uomini il regno di Colui che è il Redentore, il Legislatore, il Giudice, il Signore del mondo, Gesù Cristo, il Dio che è sopra tutte le cose benedetto nei secoli.[3]

Mentre pertanto accompagnamo coi Nostri paterni voti i vostri lavori per il maggior bene dei popoli e per il perfezionamento delle relazioni internazionali, impartiamo a voi, come pegno delle più ricche grazie divine, con effusione di cuore l'Apostolica Benedizione.

[3] *Rom.*, 9, 5.

NUNTIUS RADIOPHONICUS

CHRISTIFIDELIBUS CANTABRICAE REGIONIS DATUS, OB PRIMUM ELAPSUM SAECULUM A QUO B. MARIA V., « NUESTRA SEÑORA DE BEGOÑA » NUNCUPATA, EIUSDEM REGIONIS PATRONA CAELESTIS PROCLAMATA FUIT, SOLLEMNIA CELEBRANTIBUS.*

Venerables Hermanos y amados hijos que, reunidos en la Villa de Bilbao, clausuráis en estos momentos la gran misión, organizada para conmemorar los cincuenta años de la proclamación de Nuestra Señora de Begoña como Patrona del « muy Noble y muy Leal Señorío de Vizcaya » :

Si quien honra a su madre ha sido comparado con el que acumula un gran tesoro,[1] ¿a quién os diríamos semejantes en estos momentos, al contemplaros con los ojos del espíritu en número tan imponente, enronqueciendo de entusiasmo, al aclamar con desbordante fervor a vuestra Madre del cielo, a esa Madre a cuyos pies y bajo cuyos auspicios puede decirse que se ha desarrollado toda vuestra vida?

No pretendemos remontarnos ahora hasta los siglos, envueltos no poco en la niebla de los tiempos, cuando vuestra fuerte estirpe — sencilla siempre, pero siempre indómita —, sin haber jamás doblegado la altiva cerviz a ningún yugo, inclinaba sin embargo inmediatamente la frente para recibir en ella las linfas purificadoras del bautismo; desde entonces aquel pueblo, como muy bien se ha dicho, de santos, de sabios y de guerreros, sería siempre una gente sobre todo cristiana, que ha sabido conservar casi íntegras hasta nuestros días las más puras esencias de su recia y sana espiritualidad.

Era, pues natural que, al nacer a la historia vuestra Villa, en los albores mismos del siglo XIV, lo hiciera casi a la sombra de aquella Iglesia o Monasterio de Santa María de Begoña,[2] que ya existía probablemente desde no mucho después del siglo IX y que, asentada en aquella última estribación de la colina de Artagan, habría de presidir estos seis siglos de vuestra vida, ofreciéndoos calor y devoción en todos los momentos, refugio en vuestras calamidades, luz y aliento en las

* Die 15 Novembris a. 1953.

[1] Cfr. *Eccli.*, 3, 5.

[2] *Silverio F. de Echevarria, Historia del Santuario e imagen de N. S. de Begoña* (Tolosa, 1892) pags. 4 y siguientes.

horas obscuras, protección y escudo en todos los peligros y ante los golpes de todos vuestros enemigos. Buen testimonio queda de tan manifiesta protección en los no pocos hechos extraordinarios que los historiadores reseñan de los que son mudos, pero elocuentes testigos, no sólo las veintiocho lámparas de plata que arden continuamente ante el altar de la moderna Basílica, sino también los incontables ex votos que cuelgan de sus paredes, ofrecidos acaso con mano trémula por algún viejo lobo de mar, que en un momento pensó no volver a pisar tierra; y así, hasta llegar a los grandes homenajes de los tiempos modernos: la inolvidable peregrinación de 1880, la solemnísima coronación de 1900 y aquella proclamación del 1903 que, para que no le faltase nada, quedó incluso rubricada con sangre de martirio.

Esta es precisamente la fecha que vuestro amor filial no ha querido dejar pasar sin una digna conmemoración; pero una conmemoración tan singular que tampoco Nós querríamos que le faltase Nuestro elogio.

Efectivamente, durante tres semanas enteras, primero dentro del mismo Bilbao y luego desde Usánsolo y Galdácano hasta Guecho y Santurce, todo a lo largo de esa ría del Nervión — que viene a ser como la espina dorsal de toda vuestra admirable actividad y prosperidad moderna —, trescientos fervorosos misioneros, en más de cien centros de misión, han recordado a casi medio millón de almas las verdades fundamentales de nuestra santa fe, exhortándolas a la renovación de la vida cristiana y ofreciéndoles generosamente reconciliación y perdón. De entre éstas queremos recordar en especial a Nuestros amadísimos hijos los trabajadores, objeto siempre de singular amor para el Padre común, acumulados en esos potentes centros fabriles donde la vida es más dura y los peligros para el alma son mucho mayores. ¡Ojalá se hayan conseguido abundantemente los frutos anhelados por vuestro celoso Pastor, de tal manera que en adelante todos resplandezcáis por una mayor interioridad religiosa, un mayor sentido de comunidad espiritual, una tradición más vivificada, menos inmoralidad, más desinterés y pureza de costumbres, menos ansia de placer y comodidad y sobre todo, más vivo anhelo por el triunfo de la justicia social! Y así como hubo un tiempo en que lo mismo el valeroso guerrero vizcaíno que penetraba audaz en las selvas americanas portador de la civilización y de la fe; que el navegante osado que salía de vuestros puertos para proteger vuestro litoral, lanzarse a lo desconocido o tomar parte en las grandes empresas hispánicas, todos llevaban escrito en sus pendones o en sus proas el nombre de Begoña e impreso en sus corazones el amor a su Madrecita querida; así ahora todo hijo de esa hidalga tierra, de esa nobilísima Villa,

sea siempre un cristiano fervoroso que sepa incluso llevar al campo apostólico el empuje, la constancia, la amplitud de miras, que en las empresas humanas os han dado tantos y tan justos triunfos, hasta llevaros a la envidiable situación en que hoy os halláis gracias al auxilio divino y a vuestro propio esfuerzo. « Házte un tesoro según los preceptos del Altísimo y te aprovechará más que el oro »,[3] dice la divina Sabiduría, porque « El que en sus riquezas confía, caerá : los justos reverdecerán como follaje ».[4]

¡ Y Tú, oh Madre Santísima de Begoña, que desde ese « Sagragio del Señorío de Vizcaya » parece como que te complaces contemplando la fidelidad y la devoción de esos tus buenos hijos ; Tú, a quien ellos rinden culto bajo la advocación dulcísima — para Nós especialmente amable — de Nuestra Señora de la Asunción : no dejes de interceder por ellos ante el Corazón de tu amantísimo Hijo, a fin de que sigan siendo sempre dignos de su nombre y de su historia y, sin dejarse arrastrar los unos por las fatigas y trabajos de esta vida y los otros por la excesiva prosperidad de un momento, nunca aparten los ojos de ese cielo, donde Tú les esperas, a donde deben tender con todas sus ansias y donde deben poner su única y verdadera patria !

Estos son Nuestros sentimientos y estos Nuestros deseos, mientras que, para consolidar más y más los frutos de vuestra misión y para impetrar de lo alto más abundante gracia, a tí, Venerable Hermano, Prelado de la diócesis y a quien, antes que a nadie, hay que atribuir el mérito de tan feliz iniciativa ; a todos Nuestros Hermanos en el Episcopado que en estos momentos te acompañan ; a las dignísimas autoridades, que tanto han colaborado en esta empresa de carácter exclusivamente espiritual ; a los sacerdotes, religiosos y religiosas, lo mismo que a todos los fieles que de cualquier manera oyen Nuestra voz ; a la amadísima Bilbao, a toda Vizcaya y a España entera, damos de todo corazón, con afecto paternal, Nuestra Bendición Apostólica.

[3] *Eccli.*, 29, 14.
[4] *Prov.*, 11, 28.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

NOTIFICAZIONE

Viene chiesto se con la Costituzione Apostolica *Christus Dominus*, attesa anche la relativa Istruzione del S. Offizio, sia stato revocato il privilegio, goduto da alcune chiese, di celebrare nelle ore serali della vigilia la *prima Messa* del S Natale.

In proposito si rende noto che tale privilegio, essendo d'indole liturgica, non rientra, sotto quest'aspetto, nelle clausole abolitive della Costituzione *Christus Dominus*.

I Sacerdoti, però, che celebrano nelle predette circostanze, come pure i fedeli che si accostano alla S. Comunione, devono attenersi alle vigenti disposizioni circa il digiuno eucaristico.

Palazzo del Sant'Offizio, 12 dicembre 1953.

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

LAMACENSIS

DECRETUM

DE CAPITULI CATHEDRALIS INNOVATIONE

Cum pervetusti Lamacensis Capituli Cathedralis, labentibus annis variis mutationibus emendati, nova sint condenda Statuta, Exc. P. D. Ioannes a Silva Campos Neves, Episcopus Lamacensis, enixe ab Apostolica Sede postulavit ut ipsum innovaretur pressiusque describeretur.

Sacra Congregatio Consistorialis, praehabito favorabili voto Emi P. D. Petri S. R. E. Card. Ciriaci, in Lusitania Pro Nuntii Apostolici, vigore specialium facultatum sibi a Ssmo Domino Nostro Pio Divina Providentia PP. XII tributarum, rata huiusmodi innovationem solemniori cultui Deo in Ecclesia exhibendo collaturam, precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel qui sua interesse praesumant consensu, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae fuissent, statuit ut exinde Lamacense Capitulum, ceteris abrogatis, quatuor constet Dignitatibus, scilicet, decano, cantore, archidiacono, archipresbytero, et octo canonicis, quibus ab Episcopo Ordinario Lamacensi bini aut plures addi poterunt beneficiarii seu mansionarii qui eidem expedire videantur ad sacras functiones in ecclesia cathedrali peragendas. Indulget tamen ut hodiernus canonicus cui in eodem Capitulo collata est Dignitas « thesaurarius maior », suum retineat munus, et dignitas illa extinguatur cum primum quomodocumque vacet.

Quoad vestes chorales mansionariorum Sacra haec Congregatio mandat ut sint rochetum sine reflexu in manicis et mozeta nigri coloris. Cum autem non parum deceat ut qui in Episcopi senatum et consilium adsciscuntur quibusdam decorentur insignibus, concedit ut Dignitates et canonici, intra fines dumtaxat propriae dioeceseos, vestem talarem adhibeant cuius collum et anteriores extremitates exiguus torulus ornet rosei coloris.

Quod attinet ad servitium chorale, ceteraque officia iura et privilegia, normae iuris communis, legitimae consuetudines atque peculiaria statuta adamussim serventur.

Ad haec omnia perficienda S. Congregatio deputat memoratum in Lusitania Pro Nuntium Apostolicum, tribuens necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ipsi imposito mittendi, cum primum fas erit, ad eandem S. Congregationem Consistorialem exemplar authenticum actus peractae exsecutionis.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die XV mensis Iunii, anno 1953.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen et Mandelen, *a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

DECRETUM

Quo sollemniori ritu ac pari magnificentia Marianus Annus nuper ubique terrarum indictus Litteris Encyclicis « Fulgens corona » sumat initium atque ad exitum perveniat, Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII die 25 mensis Novembris labentis anni Revmis locorum Ordinariis facultatem tribuere libenter dignatus est indulgendi ut in unaquaque ecclesia cathedrali, collegiali, conventuali, paroeciali, necnon in potioribus ecclesiis et oratoriis, etiam sodalibus religiosis concreditis, praesertim autem in Sanctuariis Marianis et ecclesiis Beatissimae Virgini Mariae dicatis, ad quae populus frequentior accedere solet, exceptis tamen domesticis sacellis, dimidia hora post mediam noctem, quae interfluit intra diem septimum et octavum mensis Decembris MCMLIII, itidemque inter eosdem dies mensis Decembris anni MCMLIV, *una sancta Missa*, etiam solemnis, litari possit, in qua, vel continuo ac statim post eam expletam, christifideles rite dispositi sacra Synaxi sese reficere queunt, servato ieiunio, a media nocte.

Id vero indulgere valent RR. Ordinarii dummodo sacrae supplicationes Deo Beatissimaeque Virgini Mariae Immaculatae impendantur ad praeclara permagnique momenti imploranda beneficia a memoratis Litteris Encyclicis singillatim recolita, per spatium saltem duarum horarum, in hoc computato tempore ad Missam celebrandam insumpto, servatis in reliquis de iure servandis cautoque ut quodlibet praecaveatur irreverentiae ac profanationis periculum.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 26 mensis Novembris MCMLIII.

✠ B. Card. ALOISI MASELLA, Ep. Praenest., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

F. Bracci, *a Secretis*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

CIRCOLARE

CIRCA NUOVE FORMULE DEL DIGIUNO EUCARISTICO DA INTRODURSI NEL CATECHISMO DEL B. PIO X

Come è noto, con la Costituzione apostolica *Christus Dominus* del 6 Gennaio 1953 il regnante Sommo Pontefice Pio Pp. XII stabilì una nuova disciplina per il digiuno eucaristico, e la Sacra Congregazione del Sant'Uffizio con l'Istruzione del medesimo giorno emanò speciali norme per la regolare osservanza di tale disciplina (*Acta Apostolicae Sedis*, vol. XXXXV, pag. 15 e 47).

In seguito poi ad interessamento di questo Sacro Dicastero del Concilio, la medesima Sacra Congregazione del Sant'Uffizio, con l'augusta approvazione del Santo Padre, ha disposto che nel Catechismo del B. Pio X siano apportate le seguenti modifiche alle domande 335, 339 e 340, nonchè alle relative risposte:

335. *Quante cose sono necessarie per fare una buona comunione?*

R. Per fare una buona comunione sono necessarie tre cose: 1° essere in grazia di Dio; 2° sapere e pensare chi si va a ricevere; 3° essere digiuno dalla mezzanotte.

339. *In che cosa consiste il digiuno eucaristico?*

R. Il digiuno eucaristico consiste nell'astensione da qualsiasi cibo o bevanda, eccetto l'acqua naturale.

340. *Chi non è digiuno può ricevere mai la comunione?*

R. Chi non è digiuno può ricevere la comunione in pericolo di morte; inoltre in particolari circostanze determinate dalla Chiesa.

340-bis. *Quali sono queste particolari circostanze determinate dalla Chiesa?*

R. Sono le seguenti:

1) Gl'infermi possono fare la santa comunione, anche dopo aver preso medicine o bevande, se per grave incommodo — riconosciuto dal confessore — non possono rimanere completamente digiuni.

2) Chi fa la comunione a tarda ora o dopo un lungo cammino o dopo un lavoro debilitante può prendere qualche bevanda fino ad un'ora prima di comunicarsi, se prova grande incommodo — riconosciuto dal confessore — ad osservare completamente il digiuno.

3) Nelle Messe vespertine può fare la comunione chi si è astenuto dai cibi solidi per tre ore e dalle bevande per un'ora.

340-ter. *Nei permessi di prendere bevande sono compresi anche i liquidi alcoolici?*

R. Nei permessi di prendere bevande sono esclusi gli alcoolici.

Tanto si comunica per opportuna intelligenza e norma.

Roma, 14 Novembre 1953.

G. Card. Bruno, *Prefetto*

L. ✠ S.

F. Roberti, *Segretario*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

INSULARUM BERMUDARUM

DECRETUM

PRAEFECTURA APOSTOLICA INSULARUM BERMUDARUM DELEGATIONI APOSTOLICAE IN BRITANNIA ADSIGNATUR.

Cum per Decretum Sacrae Congregationis Consistorialis diei 19 mensis Februarii vertentis anni insulae, vulgo « Bermude » nuncupatae, seiunctae sint ab Archidioecesi Halifaxiensi et erectae in Praefecturam Apostolicam, Insularum Bermudarum appellandam, iurisdictioni huius Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando plene subiectam, eidem Sacro Consilio visum est, ob peculiaria rerum adiuncta, memoratam Praefecturam Apostolicam Insularum Bermudarum Delegationi Apostolicae in Britannia adsignare.

Quam sententiam Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, in Audientia diei 24 mensis Martii vertentis anni, referente infrascripto huius Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto, benigne excipiens, ratam habuit et confirmavit atque hoc ad rem Decretum confici et expediri mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 24 mensis Martii a. D. 1953.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus*

L. ✠ S.

† Ph. Bernardini, Archiep. tit: Antioch. in Pisidia, *a Secretis*

II

MERAUKENSIS - DE HOLLANDIA

DECRETUM

DE FINIUM MUTATIONE

Cum Excellentissimus Dominus Hermanus Tillemans, M. S. F., Vicarius Apostolicus Meraukensis, et Reverendissimus Pater Antonius Cremers, O. F. M., Praefectus Apostolicus de Hollandia (Nova Guinea), aliquam confinium mutationem inter Vicariatum Apostolicum Meraukensem et Praefecturam Apostolicam Hollandiae petiissent, ut in territorii Meraukensis parte, cui vulgo nomen « Mimika », evangelizationis operi aptius consuleretur, visum est ad novam inter duas, quas diximus, circumscriptiones ecclesiasticas, limitum definitionem procedere.

Quamobrem haec Sacra Congregatio « de Propaganda Fide » memoratam territorii partem de « Mimika », quae hucusque ad Vicariatum Apostolicum Meraukensem pertinebat, ab ipso Vicariatu Apostolico Meraukensi distrahendam atque Praefecturae Apostolicae Hollandiae ita adnectendam censuit ut deinceps linea divisionis inter dictas circumscriptiones ecclesiasticas, proficiscens a finibus Papuasiae Australianae, currens per summa iuga montium, non, prout adhuc, prosequatur usque ad Sinum Aetnae, verum ad 137° 30 longitudinis orientalis perveniens, flectatur iuxta eundem gradum ad meridiem, prosequens usque ad mare.

Quod Sacrae Congregationis « de Propagada Fide » consilium eiusdem Sacrae Congregationis Cardinalis Praefectus, vigore specialium facultatum sibi a Sanctissimo Domino Nostro Pio Divina Providentia Papa XII die 11 Octobris 1952 concessarum, ratum habens atque confirmans, territorium de « Mimika » a Vicariatu Apostolico Meraukensi distraxit et Praefecturae Apostolicae Hollandiae adnexuit praesensque ad rem Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 26 mensis Iunii a. D. 1953.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† Ph. Bernardini, Archiep. tit. Antioch. in Pisidia, *a Secretis*

PONDICHERIENSIS ET CUDDALORENSIS

DECRETUM

ARCHIDIOECESI PONDICHERIENSI NOMEN « CUDDALORENSIS » ADDITUR

Cum Excmus Dñus Augustus Simeon Colas, Archiepiscopus Pondicheriensis, proposuisset ut hodiernae denominationi Archidioeceseos Pondicheriensis nomen adderetur urbis Cuddalorensis, ita ut deinceps eadem Archidioecesis appellaretur Pondicheriensis et Cuddalorensis, Ssmus Dñus Noster Pius Div. Prov. Papa XII, in Audientia diei 7 currentis mensis Augusti huius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Cardinali Praefecto concessa, supramemoratam propositionem adprobare dignatus est ac praesens ad rem Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 7 mensis Augusti a. D. 1953.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*

L. ✠ S.

C. Corvo, *Subsecretarius*

IV

GOANEN.-POONEN.

DECRETUM

Cum, Sanctae Sedis consulto, territorium Goanae Archidioeceseos, ad Unionem Indianam pertinens et districtus civiles de Belgaum, Nord Canara, Ratnagiri et Sawntwadi complectens, a praefata Archidioecesi, quae ditioni Sacrae Congregationis super Negotiis Extraordinariis subest, distractum fuerit et Sacrae Congregationi de Propaganda Fide concreditum, propositum est ut duo ex illis districtibus, *Ratnagiri scilicet* et *Sawntwadi* Dioecesi Poonensi unirentur.

Quam propositionem Ssmus D. N. Pius Div. Prov. Papa XII, in Audientia diei 19 Septembris vertensis anni, benigne excipiens ac ratam habens, supra memoratos districtos de Ratnagiri et Sawntwadi ad Dioecesim Poonensem adnectere dignatus est atque praesens ad rem Decretum confici ac publici iuris fieri iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 19 mensis Septembris A. D. 1953.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*

L. ✠ S.

† Ph. Bernardini, Archiep. tit. Antioch. in Pisidia, *a Secretis*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

LUCEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI HELENAE GUERRA, FUNDATRICIS INSTITUTI OBLATARUM SANCTI SPIRITUS VULGO A S. ZITA.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in casu et ad effectum de quo agitur.

Lucensis civitas in Etruria non modo antiquitate atque civili gloria est celebranda, sed, quod pluris est, temporibus praesertim nobis vicinioribus, nonnullorum sanctitate, qua mirifice ac magnifice illustratur.

Ne longius protrahatur sermo, duas tantum commemorare liceat, S. Gemmam Galgani, quae Lucae ad sanctitatis culmen pervenit, Helenamque Guerra, cui honor tribuendus humaniorum ac spiritualium artium sanctae huius magistram fuisse, de cuius virtutibus hoc in decreto agitur.

Optimos ipsa parentes censu, honestate, pietate claros habuit Antonium ac Faustinam Franceschi, qui filiolam die 23 Iunii anno 1835 natam, eodem die per baptismi sacramentum divina adoptione ditarunt.

Raro exemplo mater, divinae caritatis impulsu, suaviter quidem, sed insimul fortiter puellam educavit, eamque vivida disciplina ad ferventem ac firmam pietatem assuescere perduxit. Nonnisi dormientem eam osculabatur, ac a mundanis vanitatibus avertere studebat. Ne filiorum intacta puritas ab aequalium consuetudine vel minime inquinaretur, eos publicum ludum celebrare non sivit, sed domum magistros arcessere suevit. Helena, rigorem hunc non pertaesa, iam a prima adulescentia iuges in christiana perfectione progressiones perficiens, aptam ad divina exsequenda consilia se reddidit. Sancti Spiritus charismatibus per Confirmationis Sacramentum anno 1843 abundantius ditata, atque a sequenti anno Christi Corpore cotidie saginata, caelestem potius vitam quam terrenam, adhuc in saeculo, agere visa est. Acerrimo dotata ingenio latinas

litteras adeo excoluit, ut a Sacra Scriptura ac Sanctis Patribus illam valuerit scientiam haurire, quam in pluribus eius scriptis datum est admirari.

Apostolico permota ardore, consociationem iuvenum feminarum cui nomen « a Spiritualibus Amicitiis » constituit, cuius regulas ipsa conscripsit, ut christianam sodales catechesim docerent, pietatemque exercerent.

Nec satis. Anno 1872, postridie festum Immaculatae Conceptionis, una cum nonnullis pietate praestantibus, religiosarum ad instar, communem vitam instauravit. Post decennium Archiepiscopus Ghilardi eas religiosis vestibus induit, sororesque, earum humillimo optato favens, a S. Zita, quae Lucae famulatui addicta sanctitate floruit, nuncupavit, cui titulo postea Spiritus Sancti nomen fuit praepositum.

Duplicem ipsa in regulis a se conscriptis huic Instituto constituit finem : Spiritus Sancti cultum promovendi atque puellas educandi.

Sancti Spiritus cultum promovendum praestituit, quia perpendebat moerens tertiam hanc SS. Trinitatis personam a paucis coli, quasi in oblivionem traditam, uti sapientissimus Leo Papa XIII in Encyclica *Divinum illud munus,* Servae Dei humillimo impulsu anno 1897 edita, scripsit : « Ne hodie quidem desunt, qui similiter rogati ut quidam olim a Paulo apostolo, acceperintne Spiritum Sanctum, respondeant similiter : *Sed neque si Spiritus Sanctus est, audivimus* » (Act. 19. 2).

In hoc cultu promovendo, voce ac scriptis spirituali theologia refertis totam se impendit.

Supernaturali hoc spiritu imbuta, sapienter prudenterque Institutum moderabatur eiusque propagationem curabat. Verum, quoniam opera Dei crucis signo debent notari, factum est ut, Deo permittente, magna oborta sit contra Dei Famulam tempestas. Calumniis apud Archiepiscopum impetita a supremo officio quasi inepta anno 1906 fuit deposita atque ad infimum in Instituto reiecta. Quas iniurias, uti postea S. C. de Religiosis, rebus perpensis, scripsit : Ipsa, ea animi magnitudine qua pollebat, acceptavit humiliter.

Ab omni cura Instituti quasi de crimine suspecta, seposita, immo ne spirituales opellas scriberet proihibita, Deo coniunctior, angelicam vitam a terrenis abstractam in caelestium contemplatione duxit. Die 11 Aprilis anno 1914 ad caelestes nuptias evolavit.

Post eius mortem unanimiter Servae Dei vitae sanctitas ab omnibus fuit recognita. Quare anno 1930 ordinaria auctoritate Informativus Processus fuit constructus; servatisque de iure servandis, causa Beatificationis, Pio XI fel. rec. favente, die 5 Maii a. 1936 fuit introducta. Aposto-

licis Inquisitionibus peractis, die 26 Iunii a. 1951 coram subscripto Cardinali, S. R. C. Praefecto et causae Ponente, Antepraeparatoria Congregatio fuit habita, cui die 20 Ianuarii 1953 Praeparatoria successit. Denique die 21 Aprilis anni huius, Generalis Congregatio coram Ssmo D. N. Pio Papa XII fuit coacta, in qua ipsemet Cardinalis dubium discutiendum proposuit: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum, tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suffragium tulerunt. Beatissimus vero Pater sententiam edere ad hunc distulit diem, fervidas interim effundens preces.

Quare Sanctitas Sua eumdem Cardinalem S. R. C. Pro-Praefectum ac causae Ponentem, R. P. Salvatorem Natucci, Generalem Fidei Promotorem, meque Secretarium ad se accivit, divinoque sacrificio litato edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Venerabilis Helenae Guerra, in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 26 Iunii 1953.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

II

LUCERINA

CANONIZATIONIS BEATI FRANCISCI ANTONII FASANI, CONFESSORIS, SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS FRATRUM MINORUM CONVENTUALIUM.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Dei Servum Franciscum Antonium Fasani, Sacerdotem professum Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, heroicas exercuisse virtutes Leo Papa XIII, die 21 Iunii anni 1891, lato decreto, edixit, eumque miraculis clarum Summus feliciter regnans Pontifex, die

15 mensis Aprilis, anno 1951, Beatorum Caelitum albo solemniter adscripsit.

Ex eo autem tempore cultus et pietas fidelium in novensilem Beatum Franciscum Antonium in pluribus dioecesibus, Apuliae praesertim regionis in Italia, adeo increvit in dies, ut nova prodigia eius invocatione et intercessione a Deo patrata ferantur, de quibus inquisitiones apostolica auctoritate ad ulteriorem Causae progressum opportune conficiendae videntur.

Quare instante Revmo P. Antonio Ricciardi, Fratrum Minorum Conventualium Postulatore Generali, attentisque litteris quorundam Archiepiscoporum et Episcoporum necnon Revmi Patris Ministri Generalis praefati Ordinis, Emus ac Revmus Dominus Alexander Cardinalis Verde, eiusdem Causae Relator, in ordinario Sacrorum Rituum Congregationis coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens discutiendum dubium proposuit, nempe: *An signanda sit commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Et Emi ac Revmi Patres, sacris tuendis ritibus praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuere: *Affirmative,* seu *esse signandam commissionem reassumptionis Causae, si Sanctissimo placuerit.* Die 14 Iulii 1953.

Quibus denique omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII per subscriptum Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua, rescriptum eiusdem S. Congregationis ratum habens, manu propria dignata est signare *commissionem reassumptionis Causae Canonizationis Beati Francisci Antonii Fasani, Confessoris.*

Datum Romae, die 26 mensis Iulii, Anno Dominicae Incarnationis 1953.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

III

SEGUSIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI EDUARDI IOSEPHI ROSAZ, EPISCOPI SEGUSIENSIS.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Sapienter haec in ore Domini verba exhortationis ponuntur: « Fili, relinque te et invenies me. Sta sine electione et omni proprietate et lucraberis semper. Nam et adicietur tibi amplior gratia statim ut te resignaveris nec resumpseris » (Imit. Christi, III, 37).

Vere sapientissima sunt verba haec, nam: « Quid est homo? ... quid promeruit? certe hoc in veritate cogitare possum ... nihil sum, nihil possum, nihil boni in me habeo ... in omnibus deficio et nisi a te fuero adiutus et interius informatus, totus efficior tepidus et dissolutus » (Ibid., 40).

Si quis de hac veritate intime est persuasus, aptum se reddit in manu Dei instrumentum ad talia ac tanta opera exsequenda, quae humanas excedunt vires divinumque opus manifesto produnt.

Plurima in Ecclesia Dei huiusmodi exempla afferri possunt, inter quae humillimi Servi Dei Eduardi Iosephi Rosaz opera sunt adnumeranda. Et sane. Segusii in Pedemontana regione, Sanctorum ac Beatorum altrice, die 15 Februarii anno 1830, a Romualdo ac Iosepha Dupraz Famulus Dei, septimus ex octo filiis, natus est, sequentique die sacris baptismatis aquis renatus.

Decennis Taurinorum Augustam prius, Salutias postea se contulit, cuiusdam collegii alumnus. Ad sacra ministeria se persentiens vocatum Segusiense Seminarium anno 1848, ac dein Nicenum ad Varum anno 1851 ingressus est, ubi ad sacerdotium Sabbato Quattuor aestivorum Temporum anno 1854 fuit promotus. Antecedenti anno Tertio Franciscali Ordini se adiunxit. Diaconus quum nondum erat, a Segusiensi Episcopo Cathedralis Ecclesiae Canonicus ad Patronorum praesentationem fuit electus.

Sacri Ordinis gratia in eo vacua non fuit. Nullum enim sacerdotale ministerium neglexit. Assiduus in paenitentiae sacramenti exedra praesto erat, cunctam dioecesim Segusiensem finitimasque evangelica praedicatione excoluit, uberrimos referens salutares fructus.

Nonnullarum puellarum condicionem miserans ac pericula quibus ipsae obnoxiae erant, eas nullis deterritus difficultatibus ac dicteriis, sed soli divinae Providentiae auxilio, uti alter S. Iosephus Cottolengo, confisus, anno 1836 colligere coepit, Pauperum Filiarum Recessus rudimentum, ad quarum regimen incassum variis tentaminibus cedentibus, Congregationem fundavit, Tertii Ordinis S. Francisci ad normas.

Divina porro Providentia ei defuit nunquam, uti Aloisius Anglesio, eiusdem Sancti successor et spiritus heres, praedixerat; sicque Pauperum Filiarum Recessum ampliavit propriaque ecclesia ditavit.

Inexhaustum animarum zelum Episcopus sedulo perpendens, Carcerum Cappellanum, civici Collegii pueris educandis rectorem, Sororum a S. Ioseph moderatorem, episcopalis denique Seminarii Rectorem eum elegit.

Tantae virtutis, animorum zeli, doctrinae, rerum gerendarum peritiae fama, intra dioecesis limites non fuit contenta, sed ad Summi Pontificis, Servi Dei Pii Papae IX, aures pervenit, qui in Consistorio diei 31 Decembris anni 1877, frustra renitentem Famulum Dei, ad Segusiensem Episcopalem sedem promovit.

Episcopalia munia omnia perfecte adimplevit. Nunquam a verbo Dei praedicando abstinuit; christianam catechesim, per totam dioecesim edoceri, paenitentiae sacramentum rite ministrari atque ad sacram synaxim fideles frequenter accedere indefesse curavit; ut ludi christiano spiritu moderarentur, Fratrum Scholarum Christianarum Scholas fovit ampliavitque.

Contra grassantem Liberalismum, quem vocant, Ecclesiae iura conculcantem, verbo ac scriptis dimicavit strenue.

Religiosas familias adamavit earumque operibus in fidelium bonum large utebatur.

